



# The Holy See

---

**BENEDICTUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM** CONSTITUTIO APOSTOLICA **AZERBAIGIANIENSIS\*** IN AZERBAIGIANA  
PRAEFECTURA APOSTOLICA

CONDITUR AZERBAIGIANIENSIS APPELLANDA De iuvandis omnibus Christifidelibus solliciti, cuncta disponere conamur ut Evangelii nuntius et Domini salutaria beneficia omnia loca contingant et quam efficacissime ad longinquos etiam populos perveniant. Nunc ob oculos Nostros gentes versantur quae in Azerbaigiana commorantur, quibus ob eorum spiritales necessitates opportuna subsidia commodare properamus. Quapropter, favorabili quorum interest habito suffragio, Missionem « sui iuris » Bacuensem ad gradum Praefecturae Apostolicae Azerbaigianiensis appellandae elevamus, quam sollicitis curis Societatis S. Francisci Salesii committimus. Itemque primum Praefectum Apostolicum Azerbaigianensem Reverendum Dominum nominamus Vladimirus Fekete, S.D.B., cum omnibus iuribus et facultatibus eidem Officio adnexis. Haec omnia ad expedienda ecclesiasticum virum, qui Apostolicae Sedis negotia in Azerbaigiana curat, legamus. Re tandem ad finem perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur. Hanc denique Apostolicam Nostram Constitutionem nuncet in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quarto mensis Augusti, anno Domini bismillesimo undecimo, Pontificatus Nostri septimo.* Tharsicius card. Bertone  
*Secretarius Status* Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Di Felice, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. CIII (2011), n.9, pp.567-568. © Copyright 2011 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana